

A prædictio, qua nobis declaratur, quibus ingentibus beneficijs in Christo Iesu accumulati sumus? Ipsi scilicet optant animos esse seruiles in Ecclesia Christi, & conscientias captiuas magis quam liberas & amore Dei præditas.

In eo quod dicit: *Fideles custodiunt Dominus, quærendum est, quæ sit huius custodiæ ratio: quod vide..* **OBS. 3.**
licet opus sit huic hominum generi, peculiari custodia Dei in hoc seculo, cum nullum sit aliud genus hominum, quod dignius sit ut admetur. Quid enim aliud est fidelis, quam talis homo, qui animo sit candido, veraci & sincero, expers dolii ac fraudis? At talis certe indignus est, qui odio nabeatur & lædatur. *Respondeo, verum est.* At in hoc apparet, quæ sit Mundi malitia, quod hos ipsos summo furore persequitur, quos debebat summo amore simul & honore prosequi. Huius exemplum est in ipso Davide, quem ista fidelitas, quæ digna fauore erat, in maxima pericula coniecit, ut per eundem illi fuisset, nisi adfuisset diuina custodia. Iam quia Mundus hoc malicie perpetuo habet, ut malos ac subdolos foueat, bonos ac fideles perdere cupiat, idq; plerosq; etiam bonos alioqui, a sincera pietate & fidelitate deterrere poterit, videntes misere iactari fideles in hoc seculo, solatur eos & corroborat suo exemplo, ut in fide & dilectione Dei persistant.

Obseruandum est & hoc, quod dicit, *Dominum retribuere abundantanter superbis.*

1. Quod non dicit, *Peccantiibus & delinquentibus: sed, Facientibus superba, vbi duo consideranda sunt.* **OBS. 4.**

Vnum, quo ingenio prædicti sint impij, nempe superbo & arroganti. Illò scilicet ducuntur ad perseverandum fideles Domini, quos præ se contemnunt. Nisi enim se contemnerent, non tam temere læderent. Alterum, istam impiorum superbiam, iram Dei potissimum incitare. Hinc est illud, quod

" Petrus omnibus humilitatem inculcat, dicens: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 2. Quod non dicit, *Puniet ac perdet: sed, Retribuet: nec simpliciter Retribuet: sed, Abundanter:* quod ad hoc inculcatur, ut auocemur à vindictæ cupiditate. Discamus itaque hoc loco, non timere superbos impiorum conatus, quum sciamus Deum illis esse contrarium: nec aliqua erga illos ducaatur iniuria & odio, sed potius misereamur illorum. &c.

Versu ultimo admonemur ad perseverantiam & patientiam. Iusto enim Dei iudicio, non mox **OBS. 5.**
puniuntur superbis: sed tantisper tolerantur diuinitus, donec omni planè excusatione reddantur indigni, mensuramq; suam adimpluerint. Ita scilicet non statim Cananæos expulit, quia nondum erat adimplata malitia illorum. Genes. 15. Nec statim regnum Pharaonis disturbauit. Ita & Saulem oportebat adimplere mensuram.

Sic Christus
Matt. 23.
Implete me-
suram. Et 1.
Thess. 2. Ut
impleant
peccata sua
semper.

PSALMVS XXXII.

TITVLVS.

B PSALMVS DAVIDIS ERVDIENS:
vel, Intellectus Davidis.

ARGUMENTVM PSALMI.

A rgumentum Psalmi patet ex epigrapha, & aliquot Psalmi versibus. Epigrapha indicat, hunc Psalmum continere eruditionem & intellectum Davidis Psalmus ipse declarat, qua de re sit hic Davidis intellectum: nempe de remissione peccatorum, imo de vera felicitatis negocio. Commendatur itaq; nobis iste Psalmus dupli nomine. Primum ex titulo, quod tanti viri, cuius tanta et in Ecclesia Dei autoritas, intellectus & eruditio nobis proponitur. Solent magnorum virorum intellectus, consilia, methodi, ex authorum opinione estimari, & studiose legi hoc potissimum nomine, quod virorum sapientum ac prudenter authoritate commendantur. Quam itaque magnificè sentiendum est de intellectu Davidis, tanti prophetae, tantiq; viri Dei! Deinde commendatur hic Psalmus & Davidis intellectus ab ipsa materia. Non enim quandam nobis de rebus ludicris proponit artem, sed de re omnium maxima, nempe peccatorum remissione scientiam, in qua sita est vera beatitudo & vita eterna. Tradit autem istam suam eruditionem David suo ipsis exemplis, sua ipsis experientia certam & comprobata, non aliqua rationis industria, vel alicuius alterius magisterio acceptam. Itaque Psalmus iste magni in Ecclesia Dei propheta, maximam eruditionem, viua experientia probatam, certam & indubitatam in se compleuditur.

Divisio Psalmi.

Bipartiendus est hic Psalmus, Prima portio exemplum nobis animi peccatorum pondere presi & anxi, dolorem, luctam, confessionem, & releuationem in ipso Davide, vsq; ad versum 8. declarat. Altera habet admonitionem ad pios omnes, à versu 8. vsq; ad finem Psalmi.

- B** EATI quorum remissa est transgressio, teatum peccatum. **VERS. I.**
2. Beatus homo, cui non imputat Dominus iniquitatem, & in cuius spiritu non est dolis.
3. Quoniam tacebam, contabescabant ossa mea, dum clamare tota die.
4. Quoniam noctes atq; dies grauis erat super me manustua, immutabatur succus meus in ariditatem astatis. Selah.
5. Peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatem meam non abscondi: dixi, Fabor aduersum me prauitatem meam Domino, & turemisisti iniquitatem peccati mei.

PRIMA